52777/P

TENTAMEN MEDICUM INAUGURALE, DE CHLOROSI.

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,
Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

JACOBUS YOUNG,

BRITANNUS.

Prid. Id. Junii, hora locoque ſolitis.

Βούλομαι οὖν νεωτέρας γαμεῖν. 1 TIM. V. 14.

EDINBURGI;
Apud BALFOUR, AULD, et SMELLIE,
Academiae Typographos.

M,DCC,LXVIII.

316841

VIRGINIBUS

SACRUM.

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30353737

DISSERTATIO MEDICA

DE

CHLOROSI.

CORPORIS tenella laxaque compages plurimis morbis, iiſque ſaeviſſimis, fontem praebet; quo fit, ut ſexus ſequior, quoniam hocce temperamento perfrequenter gaudent, ad multas moleſtias quae exinde oriuntur admodum proni ſunt.

MORBUS autem de quo nunc paucis diſſerendum, foemellas, in praetenero et juvenili aetate, ſaepiſſime invadit; et, more truculenti praedonis, eas pulchritudine et valetudine ſecunda ſpoliat.

NOS itaque, pro ſalute et felicitate partis generis humani tam egregiae, tam formoſae, et tam acceptae, ſemper ſoliciti, omnia quae nobis ſunt auxilia, ut hicce ſaevus et inexorabilis fugetur tyrannus, lubentiſſime conferimus.

CHLOROSIS morbus eſt ſexum ſequiorem adfectans, in quo, corporis ſuperficies pallore ad

colorem ſubviridem vergente ſuffunditur, ſine oculorum flavedine. Praecipua ſymptomata ſunt aſthenia, laſſitudo, animi dejectio, cardialgia, et, ut plurimum, pica. Morbus frequentiſſime ortum ſuum ducit a menſium emanſione, et interdum, ſed rariſſime, a menſium ſuppreſſione, idque tantum in primis menſium annis, quando ſuppreſſio accedit in temperamento phlegmatico; praecipue ſi hocce temperamentum iis debilitatis cauſis, quas in ſequenti hujuſce diſſertationis capite complectimur, ſtipatur.

In hoc morbo fere ſemper adſunt inſignis debilitas et atonia ſyſtematis, quae ſeſe oſtendunt in plurimis ejus officiis, praecipue vero ſequentibus: Imprimis, ſi corpus ſe moveat, vel lene conamen edat, reſpiratio fit difficilis; hinc veriſimile eſt, ut muſculi qui reſpirationi dicantur, et etiam pulmones ipſi, ab iis admodum afficiantur; pulmones enim his muſculis non ſatis adjuti, muneribus ſuis fungi nequeunt; adeo ut in iis ſanguis congeratur, ejus trajectus impediatur, exinde plenitudo et anxietas circa praecordia, una cum reſpiratione moleſta, oriantur.

Cor quoque et vaſa ſanguinea atonia aeque affecta muniis ſuis, uti in ſanitate, nequaquam fun-

funguntur, ſed circuitus per totum corpus languidus evadit. A diminuta cordis, arteriarum, et pulmonum actione, ſanguis in fluidum ſeroſum commutatur; hinc corpus parum nutrimenti haurit, et ſecretiones et excretiones inordinatae fiunt.

Tandem fluidum ſeroſum, actione vaſorum languida, et craſi ſanguinis admodum diſſoluta, in telam celluloſam effunditur; cutem deſerit candor, et tumor univerſam corporis ſuperficiem occupat.

Vires concoctrices hac atonia afficiuntur; inde cibi digeſtio deficit; acida in primis viis accumulantur; pica oritur; et, ex cruditatibus in ventriculo congeſtis, nauſea, cardialgia, et plurima mala naſcuntur.

Intestina pariter hacce atonia tentantur; motus eorum periſtalticus deinde languet; alvus conſtipata redditur; quod hocce morbo ſqualentes ſaepiſſime experiuntur. Nihilominus nimia ſanguinis copia ad inteſtina, ex quacunque cauſa originem ducens, alvi profluvium aliquando infert, quod ſubinde conſtipationi ſupervenit.

Effectus hujuſce atoniae ſyſtematis, qui in chloroſi ſeſe manifeſtant, forſan latius etiam extendi poſſunt; hi autem eſſe videntur

praecipui

praecipui et evidentiſſimi, quos itaque imprimis enumeraſſe haud alienum putavimus.

Inter chloroſin atque cachexiam nullum diſcrimen eſſe, quoniam morbi ſunt a ſe invicem parum diverſi, voluerunt auctores nonnulli. Sed *cachexia* verbum eſt ſenſus valde ambigui; cum apud pleroſque veterum omne malum hoc nomine inſigniebatur, ubi externum corporis tegumentum, ſive propter denſitatem, laevitatem, vel etiam colorem, a ſano ſtatu mutabatur. Sic anaſarca, elephantiaſis, pſora, icteruſque, in genere cachexiae nuncupati fuere *.

Licet menſium emanſionis cauſas explicare ſit difficile; ortum tamen ſuum ducere videtur haecce affectio vel ex defectu tenſionis ſolidorum, vel a vaſis uteri magis quam par eſt vim ſanguinis obſiſtentibus.

I. *Tenſio Solidorum deficit.*

1. Ex temperamento phlegmatico, cujus praecipua ſymptomata ſunt ſequentia, viz. fibrae molles, ſpongioſae, flaccidae; ſanguifera vaſa exilia reſpectu molis corporis; habitus pinguis;

* Vide Gorraei defin. med.

guis; mollities; flacciditas; pallor; glabrities; color albus; frigus habituale; torpor; ſomnolentia; in agendo languor; timiditas; anxietas; pulſus arteriarum rari et molles; reſpiratio languidior.

2. Ex laxitate vel debilitate ſyſtematis inducta, ex cauſis quae ſequuntur.

1mo, *Animi pathemata deprimentia, nempe anxius amor, timor, moeror, iracundia ſuppreſſa,* &c. Quandocunque vires ſuas nocivas ſenſim ſenſimque ſyſtemati incutiunt, vim nervoſam magnopere diminuunt, atque viſceribus quae cibum concoquunt debilitatem praecipue inferunt; hinc cruditates, flatus, affectioneſque ſpaſmodicae, naſcuntur. Converſio cibi in chylum tardior redditur, et ab ejus remora in ventriculo, prout animalis vel vegetabilis fuerit, putrida vel acetoſa fermentatio ſaepe inducitur; hinc dolores acuti, nauſea, et plurima mala oriuntur; exinde ſyſtema minus juſto nutritum tabeſcit. Si haec pathemata mentem diu occupaverint, tonus ſolidorum frangitur; actio cordis et arteriarum minuitur; et humorum circuitus langueſcit.

2do, *Exercitii defectus,* tonum ſolidorum laxat, actionem in fluida et impetum eorum per ſyſtema debilitat, parteſque muſculares molles

molles et flaccidas reddit. Hos effectus experiuntur foemellae quae vitam ſedentariam et otioſam degunt; iis enim fere debilis et tenellus habitus eſt, et minimam temporis, veſtimenti, cibi, &c. mutationem ferre nequeunt, quin aliquis morbus vel ſaltem aliquod incommodum conſequatur.

Nimius ſomnus, eodem modo fere ac exercitii defectus, vires ſuas nocivas edit.

3tio, *Aër inſalubris.* Bene notum eſt, incolas humilis, paluſtris, et ſylveſtris regionis ubi aër frigidus et humidus eſt, multis morbis obnoxias eſſe, qui ex ſolidorum laxitate et debilitate originem ſuam ducunt. Hinc effectus hujuſce aëris conditionis in ſyſtema deducuntur: Vim nempe nervoſam tardat, tonum ſolidorum debilitat, humorum gyrum languidiorem reddit, et ſecretionibus obſtat.

4to, *Uſus balnei tepidi intempeſtivus.* Balneum licet tepidum, idoneo tempore in uſum revocatum, in menſium profluvio promovendo ſuas meretur laudes: Attamen, ſi citius quam par eſt ad menſium profluvium promovendum uſurpetur, vel in eo diutius perſtetur, eadem poſt ſe ac nimia corporis quies, ſed in majori gradu, trahit mala.

5to,

5to, *Diaeta inſalubris.* Sub hocce capite complectimur, imprimis, pravum alimentum ſtrictius dictum; Secundo, cibum qui perexiguum nutrimenti praebet; Tertio, cibum valde nutrientem, ſed viſceribus coctricibus male accommodatum.

Manifestum eſt, pravum cibum, cum chylum pravum praebeat, nociturum eſſe; et cibum perexigui nutrimenti, quod ad ſumptum ſyſtematis quotidianum ſupplendum minime ſufficiat, debile, et in omnibus ejus functionibus languidum, redditurum eſſe ſyſtema, neceſſe eſt. Quin etiam perſpicuum eſt, cibum, quanquam valde nutrientem, attamen ad viſcera chylopoïeſi famulantia, vel ad viam vivendi non bene quadrantem, parum nutrimenti non tantum ſuppediturum, ſed potius nociturum eſſe. Si cibus magnam actionem diuturnumque horumce viſcerum molimen quod praeter naturam eſt exigat, pro perpetuo quaſi ſtimulo hiſce viſceribus erit illud alimentum, et progreſſu temporis tonum eorundem debiliorem reddet. Exinde ingeſtorum aſſimulatio pedetentim deficit, ſyſtema etiam ſenſim tabeſcit. Exempli gratia, ſi virgo tenella, cui naturâ tardiores ſunt vires coctrices, vitam ſedentariam degens,

degens, diaetam hujuſmodi uſurpaverit, omnia quae jam ſupra traduntur mala obtinebunt.

Ad diaetam minus congruam nimium potionis calidae uſum jure referre liceat, qui, dum vim ventriculi valde infirmat, totumque hinc ſyſtema enervat, nunquam non obeſt.

II. *Nimia Reſiſtentia Uteri Vaſorum Originem ſuam ducere poteſt*,

1. *Ex conformatione mala.* Vaſa uterina aliquando vel nimis exilia ſunt, vel tunicis nimis denſis atque craſſis gaudent, ita ut ſanguini rubro tranſitum omnino denegent; inde fit, ut in hiſce exemplis profluvium menſtruale, ſanitati ſexus ſequioris apprime neceſſarium, ſecundum naturam nequaquam ſeſe exhibeat: Ad hancce functionemque producendam, ut rite efformetur uterus, atque ut vaſa ejus ſatis patula ſint, omnino neceſſe eſt. Quandocunque autem evenit, ut in ſyſtemate uterino obtineat haecce conformatio mala, deficiunt menſes, et exinde conſectatur chloroſis.

2. *Ex Cauſis ſupervenientibus.*

1mo, *Variae animi affectiones ſubito citatae*, genus nervorum repentine afficiendo, hae

hae vires ſuas edere videntur; motus enim fere enormes eas ſtatim excipere invenimus. Nec minus ſanguiferum ſyſtema perturbant: Experientia enim teſtatur, horum ſubitum inſultum profluvium menſium vel diminuiſſe vel omnino cohibuiſſe.

2do, *Immodicus vel intempeſtivus Cibi uſus.* Cibus ad ſatietatem ingeſtus horrorem et alia ſymptomata febris ſaepe infert. Quoſdam cibos, praecipue butyrum, oleum, &c. et piſces cum lacte paratos, ad ſatietatem nequaquam aſſumptos, haec potenter gignere; atque hoſce cibos et id genus alios aſſumptos, dum fluunt menſes, non raro eadem mala ſequi incommoda, medica plane teſtatur hiſtoria.

3tio, Huc pertinet frigus ſubito admotum, quod minima vaſa vehementer conſtringit; et, exinde fluxum menſtrualem ſaepe ſupprimi, quotidianae docent obſervationes.

SYMPTOMATUM ENARRATIO.

Iis chloroſi laborantibus cutis pallida eſt, et in provectiore morbo flaveſcit vel etiam vireſcit. In tenerioribus corporis partibus, ut labiis, &c. praecipue apparet hic color.

Oculi tamen albiſſimi ſunt; et hinc chloroſis ab ictero diſcrepat; languidi, parvi, et debiles ſunt pulſus arteriarum; reſpiratio difficilis fit, ſi pauliſper ſe moveant vel ſcalas vel loca alta acclivia aſcendant aegrae, et hoc tempore cor frequenter palpitat et tremit. Sin a pathematis animi repreſſis oritur morbus, tunc objectum cupidinum ſuarum in animo aſſidue revolvunt: Hinc moeſtae fiunt, vita ſedentaria gaudent, et ſolitudinem petunt. Magna debilitas et laxitas corporis partibus ſolidis paulatim ſupervenit. Hinc ſecretiones et excretiones a lege naturali declinant, et abnormes ſunt; atque, quum haec debilitas vires concoquendi praecipue afficit, appetitus vel nullus vel inordinatus devenit. Acida in primis viis fere ſcatent: Hinc omnia alimenta faſtidiuntur; ſapores ut condimenta tantum guſtantur; et magna cum aviditate abſorbentia, nempe cretam, calcem, cineres, et ſimilia, ſaepe vorant chloroticae. Frequentes accedunt ructus, rugitus, et inflationes ventriculi, cum cardialgia, nauſea, et vomitu. Alvus perſaepe tarda, nonnunquam laxa; perſpiratio vix ulla. Urina plerumque pallida, inodora, et aquea, ſed in morbi progreſſu turbida eſt. Omnino pene

proſternitur

proſternitur concoctio; et aegrae poſt cibum fere ſemper male ſe habent, neque ex eo reficitur corpus. Tela celluloſa turget fluido ſeroſo; hinc pallidus, plumbeus, cereuſve color, &c.; tumeſcunt veſpere pedes, et veſtigium digitorum prementium retinent; mane palpebrae tument et liveſcunt. Cum ulterius proceſſerit morbus, viſceribus, ut hepate, liene, ventriculo, &c. labefactis, omnes tandem functiones naturales penitus depravantur, aegraeque alii alicui morbo, ut hydropi, tabi, &c. ſaepe ſuccumbunt.

PROGNOSIS.

Si morbum ipſum et ſcaturigines ex quibus originem ſuam ducit ſerio perpendimus, eum neceſſario ſaepe pertinaciſſimum et curatu difficillimum eſſe inveniemus. Verbi gratia, quo validiores et pervicaciores ſunt fontes ex quibus menſium emanſio vel ſuppreſſio oritur, ſive a ſyſtematis debilitate et laxitate diuturna, ſive uteri vaſorum conſtrictione, &c. quo diutius morbus ipſe permanet, et quo moleſtiora ſymptomata malo ſe adjungunt, eo pejor eſt prognoſis. Et, licet morbus per ſeipſum rariſſime ſit lethalis, ſaepiſſime

ſime multis aliis morbis occaſionem praebet, qui perniciem afferant: Hi ſunt tumores viſcerum abdominalium indurati, uteri, ovarii, &c. hydrops, tabes, febris lenta, &c.

Hujusce morbi hiſtoriam rite conſideranti prompte patebit, malum chloroticum a menſium ſuppreſſione ortum facilius curatum fore in iis quibus jam ordinate fluxiſſent catamenia, quam in iis quae ea nunquam paſſae fuiſſent.

Omnes inter ſe conſentiunt auctores, eas quae hoc morbo diu laboraſſent vel infoecundas reddi, vel infirmam et aegrotantem edere prolem.

METHODUS MEDENDI.

Quoniam hicce morbus ſuam originem ducere videtur ex fluxus menſtrualis retentione, quem ſyſtematis totius debilitas vel progreditur vel excipit, tres quae ſequuntur indicationes curatoriae adimplendae ſponte ſeſe offerunt.

I. Systema corroborare, et circuitum ſanguinis per totum corpus adaugere.

II. Impetum ſanguinis verſus uterum dirigere.

III. Symptomata urgentia levare.

1. Ad primam indicationem adimplendam medicamenta quae ſequuntur maxime conducunt.

Imprimis, ad animi ſtatum ſpectare debemus, et, ſi ab ullis pathematibus quae debilitant afficiatur animus, ſumma opera ut levetur danda eſt; quamdiu enim laborat animus, ſyſtema etiam ex cibo optimi nutrimenti et remediis potentiſſimis corroborari nequit.

Tunc, ſi anxio amore teritur aegra, viro fruatur amato. Si vero id fieri non poteſt, aliunde procum ſibi quaerat. Interim, ludis innocuis, peregrinatione, et aliis quae animum oblectant, ſuas fallat curas miſeranda virgo.

2. Diaeta. Illis quae ad animi conditionem attinent nunc peractis, ad ſecundum modum ſyſtema corroborandi ventum eſt, nempe, diaetam idoneam. Haec autem exacte judicatu difficilis eſt; quippe quod nutrimentum ex alimento proveniens, non ſolum ab in-

geſtis,

geſtis, verum etiam a ſtatu virium coctricium, magnopere pendeat. Ad haſce itaque conditiones ſpectandum eſt, dum per alimenti naturam ſyſtema corroborare velimus. Alioquin optimi cibi non tantum parum nutriunt, ſed e contrario, ventriculum gravendo, nauſeam, vomitum, et multa hujuſmodi quae ex cruditate proveniunt mala inducendo, plurimum nocent.

Habitus peculiares vel idioſyncraſia attentionem poſtulant; cum cibi nonnunquam effectus valde inſolitos, a rara ventriculi ſenſibilitate pendentes, edunt. Quippe quaedam his grata, illis verum ingrata, immo etiam eidem, ſub diverſis aetatis ſtadiis, valde ſunt irritantia.

Alimentum quod chloroticis optime convenit viribus coctricibus ſemper accommodandum eſt, ſcilicet leve, ad concoquendum facile, et abunde nutrimentum praebens. Hujuſmodi ſunt carnes tenerae, ſed non pingues, et bene aſſatae. Ut tamen aliquod compertum habeamus de cibo chloroticis, quibus fere vires concoctrices debiles ſunt, idoneo, pauca dicere de cibo in genere, forſan non alienum erit.

Imprimis, carnes juvencum, et fere omnium piſcium, ad coquendum difficiles ſunt, ventriculum

lum gravant, et nonnunquam horrorem et alia ſymptomata frigidi acceſſus febris inducunt. Carnibus macris vel veteribus ſuccus minor et textura firmior ineſt quam conveniunt chloroticis; et parum nutrimenti praebent. Animalia autem quae media vita et juſto fluidorum modo fruuntur ad coquendum aptis gaudent carnibus, et quae in ventriculo facillime ſolvuntur, et laticem prompte ſubigendum reddunt.

Carnes quae fermentationem putridam aliquomodo paſſae fuerunt, ob ſtimulum quem impertiunt majorem, quam eae quae talem mutationem nequaquam ſubierunt, facilius digeruntur. Hinc carnes plurimorum animalium ſylveſtrium facilius coquuntur quam domeſticorum.

Cum coctio in aqua fervente ſuccos carnium eliciat, et eas firmiores faciat, carnes coctae viribus coctricibus magis obſiſtunt quam aſſatae, quae ſuccos ſuos retinent. Hanc ob cauſam, carnes facilius digeruntur parum quam nimis coquinatae.

Carnes frixae puellis chloroticis multa incommoda non frequenter inferunt.

Clarissimus Cullen ſibi perſuaſum habet, quod nullum incommodum ex cibo varii generis, e. g. piſcibus, carnibus, vegetabilibuſque,

que, uno eodemque paſtu devorato, unquam oriatur. Sin autem ullae moleſtiae ex hoc fonte profluant, malum ortum ſuum trahit ex uno genere tantummodo alimentorum quod ingeſtum fuit, ſub poſteriore paſcendi tempore: Idemque porro alimentum, eaſdem noxas, etiamve pejores, in copia quam par eſt majore hauſtum, inferre poteſt, quarum varii cibi ſimul devorati cauſae eſſent. Hinc varia ciborum genera ſimul et ſemel aſſumpta potius neceſſaria eſſe videntur. Miſtura tamen ex lacte et piſcibus parata huicce legi obſtat, ſaltem in iis quibus vires concoctrices debiles ſunt; quia in ventriculo coagulum coctu difficile ex ea formatur.

Carnes pingues ventriculis infirmis minime congruae ſunt; quia pinguia, ab alteris alimenti partibus ſecedere prona, rancida fiunt, et gravitatem, nauſeam, &c. creant.

Nutrimentum in minore gradu vegetabilibus quam animalibus ineſt, et minus facile digeritur cibus hujuſcemodi; pulpa eorum in ventriculo humano tantum ſolubilis, et, quoniam valde aquea eſt, ſubito evaneſcit, et perraro plethoram inducit. Exinde a chloroticis, quibus virium concoctricium fere ſemper torpidior actio eſt, vegetabilia

bilia praecipue uſurpantur, ut fermentationi putridae animalis cibi occurratur, et appetitus citetur, quae cum exercitio modico efficiunt.

Multa incommoda, quae ex flatibus, remora, et fermentatione ciborum in ventriculo naſcuntur, *condimentis*, ut oleo, aceto vel ſucco limonum, ſale communi, aromatibus, &c. rite adminiſtratis, praecavenda vel ſaltem corrigenda ſunt : Illa enim cibum palato magis jucundum reddunt, actionem ventriculi et motum inteſtinorum periſtalticum promovent. In uſum tamen ſolummodo vocanda ſunt condimenta quum opus fuerit, et vice medicaminis ſolum dum debilis remanet ventriculus, ne perpetuo ſuo ſtimulo ejus debilitatem augeant, et ex conſuetudine ad digeſtionem promovendam ſemper neceſſaria evadunt.

Juscula minus faciliter in nutrimentum convertuntur quam quidam crediderunt; quoniam ventriculo infirmo diu aliquando ibidem permanent atque in acidam fermentationem ruunt alimenta hujuſce generis.

Panis, opus piſtorium, et omnia ex farina non fermentata, in chylum difficile commutantur, ſolutionemque viſcidam et glutino-

ſam etiam praebent. Hinc omnia ex iis parata fermentationem pati et in furno bene coqui debent.

Quibus ventriculus debilis eſt, eas cibum ad ſatietatem ſumere non oportet; quoniam ex hoc fonte ventriculus oneratur, et concoctionem tardius perficit; hinc cruditates naſcuntur. Modicus vero cibus facile digeritur, et ſyſtemati robur adfert; potiones calidae, uti ſupra innuimus, fugiendae. Frigidae autem ſtimulo grato ventriculum afficiunt, coctionem cibi in ventriculo valde promovent, et vigorem roburque totius corporis augent.

Vina, cereviſiae, ac omnes quae etiamnum fermenteſcunt potiones, ventriculo debili flatus inferunt; ibi quoniam earum fermentatio admodum augetur. At vina vetuſta modice hauſta hoc morbo laborantibus multum boni conferunt, viſcera quae chylopoëſi dicantur admodum firmant, et ita ſtimulant ut in cibos majore cum vi agant: Syſtema inſuper corroborant, animum exhilarant, et vim vitae motumque cordis et arteriarum augent; vina meraciora hic uſurpanda ſunt.

3tio, Huc pertinet *exercitatio*, quae varia eſt, nempe geſtatio et motus muſcularis: Niſi admodum

admodum debilis ſit aegrota, id genus exercitii in quo muſculi praecipue agant ut exercitationes anteponendum eſt.

Sub dio puro, ſicco, et frigidiuſculo, qui fibras confirmat et conſtringit, ſe exerceat aegra. Viribus autem aegrotantis nunquam non accommodari debent exercitia; quam ob cauſam leniora tantum, et quae corpus placide movent, primum in uſum vocanda ſunt, et ad validiora ſenſim progrediendum. Cum perpaucae tamen ſint hoc morbo adeo fractae ut equo vehi non patiantur, aliis fere omnibus exercitiis palmam praeripit equitatio. Haec quoniam omnes corporis partes abſque minima virium jactura conſtanter agitat, cuncta ſimul viſcera concutit, motum cordis et arteriarum excitat, impetum ſanguinis et ſecretiones per totum corpus promovet. Quibus haud facile ingeſta tranſeunt, in his ſemper antecedat nunquam excipiat cibum exercitatio, quae vires non ſolum reſtituit, verum etiam conſervat; in ejus itaque uſu diu perſtet aegrotans.

4to, In curatione hujus morbi *corroborantia* merito locum habent. Hujuſmodi cuprum, ferrum, et cortex Peruvianus, maxime valent; licet enim alia eorum vice in uſum vocentur corroborantia, minime autem iiſdem egregiis

virtuti-

virtutibus pollent haec ac illa quae vim nervoſam excitant, robur corporis adaugent, tonum debitum ſolidis debilitatis reddunt; adeo ut ſuum munus in fluida melius obeant, et exinde impetus eorum per totum ſyſtema adaugeatur.

PRAEPARATIONES cupri leniores cum ſale ammoniaco ad corroborandum ſyſtema tantum conveniunt. Aliae, quoniam ventriculum nauſea moleſta afficiunt, in uſum revocari nequeunt.

FERRUM acribus cupri viribus non praeditum pro medicamento roborante bona cum fruge uſurpatur; praecipue vero in morbis qui ex debilitate viſcerum concoctioni inſervientium vel menſium emanſione vel ſuppreſſione ortum ſuum ducunt. Hocce medicamentum in parvis doſibus primo propinandum eſt; quandocunque enim largiter ingeritur chalybs, vaſa exilia nimis aliquando conſtringuntur, calorque ſyſtematis magis quam par eſt adaugetur. Quibuſdam aegrotis magis conveniunt aquae chalybeatae quam hujuſce metalli praeparationes chemicae. Fortaſſe boni qui harum uſum ſaepe ſequuntur effectus aliquatenus a gratis ſodalitiis, et ludis in iis locis inſtitutis ubi aegrotantes aquas potant medicatas, deduci poſſint. His enim a-

quis,

quis, ut optime notavit eximius FORDYCE *, nonnunquam minor ferri quantitas ineſt, quam ad effectus tam fauſtos producendos ſufficiat. Magna tamen habituum diverſitas hoc explicat ; et experientia docet, quod chalybeata validiora ſaepe, lenia autem nunquam, mali conſequuntur effectus. Si haecce medicamenta parum felicem habeant exitum, vel ex uſu nullum effectum producant, alia praeparatio uſurpetur, vel per paucos dies illa intermittatur, denuo in ſubſidium revocetur, quum nova cum vi ac vigore non raro agat.

CORTEX Peruvianus, omnium medicaminum quae ex regno vegetabili petuntur, ad ſyſtema corroborandum praeſtantiſſimum eſt ; quia minus quam aliud amarum quodcunque ventriculum ſtimulat : Sub forma pulveris autem propinatum, effectus ſuos ſalutiferos citius certiuſque producit hocce medicamentum. Ubi viſcera concoctioni famulantia debilia ſunt, cibi mutatio in chylum male perficitur ; hinc infirmum evadit ſyſtema. At haec medicamina corroborantia, licet muneribus ſuis in univerſum ſyſtema fungantur, primum tamen et maxime in ea viſcera

* In praelectionibus.

viſcera agunt; et, ſi in parvulis doſibus adhibeantur, actionem eorum appetitumque excitant. Talis eſt vero debilitas et eorum viſcerum et totius corporis in chloroticis, ut ſubito nunquam, ſenſim tantummodo, vires amiſſas recuperare poſſint; hinc iis medicamentis in minimis doſibus uſurpatis, et cum diaeta idonea diu ſervatis, tantum ſubigenda eſt.

Alia amara medicamina, ut cort. aur. rad. gent. flor. cham. pariter bona cum fruge in uſum revocantur; ſed, propter oleum eſſentiale et magnam eorum amaritiem, ad nauſeam ciendam admodum prona ſunt. Nonnunquam autem magno cum emolumento in alvo conſtricta, ex debilitate et languido inteſtinorum motu originem ſuam trahente, exhibeantur haecce remedia; et idcirco cortice Peruviano apte adjungantur. Item varietatis gratia in praxi retineantur; ea enim amara medicamenta diuturno uſu ſuos effectus corroborantes amittunt, vel nauſeam citant. Quae incommoda, ea medicamina mutando, et uſum eorum per paucos dies intermittendo, praecaventur.

Sic corroborantia magnum levamen chloroticis adferunt, quae morbo, ſolidorum laxitate

tate et debilitate, aeque ac circulatione languida, ſanguine tenui, et vi nervoſa diminuta, ſtipato laborant.

5to, *Balneum frigidum* huic quoque indicationi accommodatur. Cum vero temperamenta inter ſe invicem valde diſcrepant, balneum igitur in temperatura ſua variari debet; et minime ſtatuendum eſt, quod balneum frigidum quibuſvis noceat, antequam reiterata pericula ſub diverſis temperaturis facta fuerint. Itaque balneo modice frigido imprimis utatur; et deinde ad magis frigidum ſenſim progrediatur aegra. Balneum frigidum eodem fere modo ac febris paroxyſmus operari videtur; et quo citior calidus acceſſus rigorem ſuccedit, balneo remoto, eo major ſpes affulget. Notare expediat, quod frigida lavatio in aqua marina magis ſyſtema roborat quam in aqua inſalſa.

6to, *Frictiones univerſae*, cum actionem vaſorum praecipue quae in corporis ſuperficiem ſerpunt valde citent, et exinde citiorem fortioremque cordis et arteriarum actionem reddant, chloroticis emolumento ſunt. Primum lenes, et tum pedetentim validiores, eſſe debent frictiones.

INDICATIONE

Indicatione quae ad corroborandum ſyſtema attinet nunc abſoluta, de iis tractare noſtrum eſt quae impetum ſanguinis in uterum potiſſimum determinant. Probatiſſima ſunt ea quae ad partes genitales admoventur. Hinc omnes fere auctores peſſis magnas laudes tribuerunt. Facultas vero iis tantum eſſe videtur partes ingrato ſenſu afficiendi; quinetiam neceſſe eſt, ut menti virginis caſtae affectus minime gratos gignant. Ab his igitur remediis nihil exſpectandum; ad ſimpliciora autem, et quae felicius ſucceſſiſſe nota ſunt, confugiendum. Omnibus hujuſmodi *matrimonium* merito praeripit palmam, cum non ſolum ad uterum majorem ſanguinis impetum promovet, verum etiam ad curationem hujuſce morbi multum confert; uti voluerunt auctores maximi nominis. Quoniam vero conditio animi ſemper haberi debet, ſi matrimonium obtineri poſſit, detur nuptum viro quem afflictim deperit puella. Ille enim maritus, dum ad partes praecipue affectas gratum ſtimulum admovet, hilaritati, voluptati, et levamini, animum donat. Si enimvero haec inſtitutio ſancta et jucunda celebrari nequeat, tum demum ad medicinam infelix confugiat virgo.

2do, Multum potuiſſe *emmenagoga* ad profluvium menſium promovendum, et ſanguinem ad uterum determinandum, crediderunt auctores: Sed cathartica hoc vocabulo potiſſimum inſigniri merentur; quippe quod inteſtina citant, et inde majorem ſanguinis copiam in aortam deſcendentem alliciunt. Haec inter, plurimum uſurpata ſunt aloëtica, quae, praeter purgantem, hac quoque virtute, teſtante Cel. Hope *, praedita eſſe videntur. Quando aloëtica in uſum vocantur, diu continuentur, et in parvulis doſibus indies exhibeantur.

Ex diureticis, cantharides in chloroſi, quod ab earum uſu ſanguis in partes genitales derivetur, et orgaſmus venereus concitetur, commendatae ſunt.

Hydrargyrum etiam ad profluvium menſium citandum nonnihil valet; in univerſum vero ſyſtema, et non in uterum ipſum, operatur: Nonnunquam tamen menſium fluxum induxit, quum alia ſpem noſtram fefellerint remedia.

Antispasmodica, uti gummi foetida, caſtor, moſchus, et praecipue opium, ad hunc ſcopum valde uſurpantur: Haecce autem ſolummodo utilia eſſe poſſunt, quando adeſt vaſo-

D rum

* In praelectionibus.

rum uteri conſtrictio. Quinetiam optima cum fruge propinentur haecce medicamenta, quando, ut cum conaminibus naturae ſuam conferant operam, adhibeantur.

Emetica dum menſes inſtant ingurgitata, ſyſtema ſua operatione agitando, et circuitum ſanguinis excitando, nonnunquam ad fluxum citandum optime proſunt.

Applicationes ad partes ſeipſas, ut ante dictum eſt, ad humores verſus uterum dirigendos, maxime valent; iis antea traditis ſubjiciamus vaporem calidae aquae in vaginam admiſſum, fumum nicotianae, injectus aquae tepidae, &c. per vaginam et per alvum immiſſos; et quaecunque alia quae ſanguinem in aortam deſcendentem majore cum vi derivant, ut ſemicupium, cum ligaturis ad femora applicatis *.

Frictiones quoque ad inferiores artus hic apte ſubjunguntur.

Alia inter emmenagoga recenſentur hell. nigr. ſabina, &c.; experientia autem de eorum uſu non ſat certa fuit.

3tio,

* Vid. ſecond volume of the Phyſ. and Lit. Eſſays and Obſervations; ubi inſigne exemplum eorum bonorum effectuum a Doctore Hamilton allatum habetur.

3tio, Vis electrica regioni uteri admota, quoniam nervorum actionem concitat, et etiam motum arteriarum majorem reddit, in chloroſi ad menſtrua promovenda admodum utilis erit. Cavendum vero, ne timores aegrae plus obſint, quam ictus electricus proſit. Itaque cum lenibus ictibus ordiendum, et ſenſim ad validiores progrediendum. Si ſub primis ictibus menſtrua non fluunt, perſeverandum; et pariter ac aliae topicae applicationes, adeo ut una cum conaminibus naturae operetur, exhibenda eſt electricitas.

Si ex uſu diuturno et exacto regiminis praeſcripti plethora inducitur, ejuſque vel menſium ſymptomata urgent, menſtruis nondum erumpentibus, ut moles humorum minuatur, ſanguinem parva copia detrahere neceſſarium erit; quod nimiam vaſorum diſtenſionem tollet, eorum contractioni locum dabit, et inſuper faciet ut cor vaſaque majore cum vi ſanguinem propellant, extrema vaſculorum uteri contracta ſuperent, et menſium profluvium efficiant. Probat enim experientia, primam menſium eruptionem plethora vel nimia vaſorum diſtenſione ſaepe tardari, et venaeſectione vel in brachio vel in pede celebrata ſaepiſſime ſtatim proſilire. Itaque, ſi ſat ſanguinis

guinis ex pede prompte detrahi poteſt, cum moris ſit, hic anteponendus eſt. Si vero ex ſpaſmodica vaſorum uteri conſtrictione, huic plethorae ſuperveniente, menſes tardari ſuſpicemur, praemiſſa venaeſectione, magno cum emolumento opiata dari poſſunt, quae ſpaſmum tollunt et eruptionem promovent; et eidem ſcopo reſpondet aqua tepida cum triginta vel quadraginta laudani liquidi guttis per alvum immiſſa. Hic pediluvium meritiſſimo locum tenet.

Ad tertiam nunc indicationem perventum, quae in levandis ſymptomatibus conſtat. Symptomata quae attentionem medici praecipue merentur haec ſunt; acida in ventriculo, ſpaſmi, flatus, &c. Si acida in ventriculo ſcateant, abſorbentibus remediis, ut magneſia, creta, teſtaceis, aq. calcis, &c. ſubigantur. Aromata amaris nupta, in vino infuſa, vel in aqua decocta, ad ſpaſmos moleſtos flatuſque tollendos bona cum fruge uſurpari poſſunt. Haec medicamenta ante cibum, ut ciborum appetentia praeſtetur, vulgo data ſunt: Sed inique; quia chloroticis ventriculus valde debilis eſt et concoctio prava; hinc cruditates, ſpaſmi, et flatus, eas hoc morbo laborantes quam maxime vexant. Ea igitur medica-

menta

menta in uſum vocanda ſunt tantum ad actionem ventriculi in cibos citandam; vel ubi cibus concoctu difficilior diu in ventriculo moratur, et ſymptomata jam memorata valde ſaeviunt. Quando autem ea ante paſtum dantur, ventriculum nimis citant, cibi deſiderium promovent, et faciunt ut aegrae ingurgitent plus quam ventriculus facile digerere poſſit; praecipue cum omnia ſtimulantia diu uſurpata, vel ante cibum aſſumpta, et ſic proxime ad partem ſeipſam applicata, potenter agant, partem admodum debilitare apta ſunt; quod ventriculo vacuo non fieri non poſſit. Ut vero ſupra indicavimus, nonnunquam neceſſe eſt, ut in initio curationis ad propria ſymptomata levanda operam demus; itaque, ſi quando ventriculus acidis et cruditatibus magnopere gravatur, ab emetico curam auſpicari convenit; quod etiam pro re nata per totum morbi decurſum iterari debet. Emeticum leniſſimum eſſe oportet, et ſolummodo ad ea evacuanda; cujuſmodi infuſio flor. cham. card. bened. &c. Si enimvero emeticum circa periodum menſtrualem exhibendum eſt, ex ſupra dictis pulverem vel tincturam rad. ipecac. vel antimonialia nonnunquam prodeſſe

prodeſſe liquet; quod ſi ullo tempore curationis leni cathartico opus fuerit, aloëtica, ut tinct. ſacra, optimo erunt uſui. Hocce autem in morbo, et emetica et cathartica parca manu, ne magis magiſque viſcera chylopoëtica debilitent, adhibeantur.

F I N I S.